



Universitätsbibliothek Paderborn

Antidota Evangelica Contra Horvm Temporvm Hæreses

In Qvibvs Quatuor Euangeliorum illi textus explicantur, quibus vel hæretici hodie (maximè Caluinus & Beza) ad sua dogmata propugnanda vti solent, vel ad hæreticorum dogmata impugnanda Catholici vti possunt

Antidotorum Evangelicorum D. Thomæ Stapletoni, S. Theol. Doctoris, & in Academica Louaniensi S. Script. Professoris Regij, Pars Altera - In Sacrosanctum Euangelium secundùm Ioannem

Stapleton, Thomas

Lvgdvni, 1595

18. Cùm senueris, extends manus tuas, & alius cinget te, & ducet quò tu non vis. Hoc autem dixit, significans qua morte clarificaturus esset Deum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39480

qui Cathedram & doctrinam tenet, successionem inaniter iactat, tamen si officium aliquatenus negligat, quam diu reiecta fide in lupum non vertitur; sicuti Reges ius regni non amittunt, tamen si rem negligenter administrant, quam diu in tyrannos non vertuntur. Pergit Calvinus. *Quemadmodum autem Christus docendi provinciam Petro mandans, solium idolo vel animarum carnifici erigere noluit, ex quo Ecclesiam miserè opprimeret, ita breuiter admonuit quale probet Ecclesia sua regimen.* Respondeo: *Quemadmodum Christus oues suas pascendi provinciam generalem atque supremam mandans, nec idolo alicui, nec animarum carnifici, sed Cathedræ Apostolicæ & animarum curatori maximo solium erexit, ex quo hæreticos omnes per omnes ætates, & inter ceteros Caluini sectam penitus opprimeret: sic officium istud & maximæ sollicitudinis & in primis necessarium totis his 1500. annis Petri successores strenuè sunt exequuti. Concludit tandem & triumphum canit Calvinus. Sic larua detrahitur cornutis Episcopis, qui sola theatrica pompa & inani titulo contenti, ius Episcopale sibi arrogant. Hoc est fulmen Calvinistarum, quo vix pulli & aui culæ terrentur. Calvinus omnibus laruam detraxit, quia strenuè bacchari & mentiri potuit. Non contentus Papam è solio deicere, omnes quoque Episcopos è ponte deturbat. Sed stat firma sedes Apostolica, Petrique Cathedra. Pascunt Ecclesiam Catholicam docti & sancti Episcopi, quorum studio ac diligentia lupi Calviniani à Christi gregibus arcentur. Nec sola Episcoporum incuria, sed populi leuitate & principum conuenientia hæc Calviniana secta præualuit.*

18. *Cum senueris, extends manus tuas, & alius cinget te. & ducet quod tu non vis. Hoc autem dixit, significans qua morte clarificaturus esset Deum.*

Qui ex hoc loco colligunt Petrum fuisse crucifixum (ait hoc loco Beza) ineptè argumentantur, cum Christus in genere predicat Petri mortem violentam fore. Similiter Calvinus. Multi genus mortis notari putant, quod extensis brachiis suspensus fuerit, verum ego simpliciter cingendi verbo comprehendere interpretor. externas omnes actiones quibus se homo & vitam suam componit. Cingebas te, hoc est, induebas prout libitum erat. Post hæc autem tolletur hæc formandi habitus libertas. Porro quo supplicij genere affectus fuerit Petrus, præstat nescire, quam dubiis fabulis habere fidem. Hæc ille. Vterque historiã Euan-

Calvinus
ac Beza
historiam
Euangel.
studio cor-
rumpunt.

gelicam affectatē corrumpit, vt traditionem Ecclesiasticam de Beato Petro crucifixo inanem ac ridiculam reddat. Sed verba Christi & Euangelistæ tam clara sunt, vt huiusmodi cauillationibus eludi nequeant. Christus non solum Petro dixit, *Alius te cinget, & ducet quò tu non vis*, quod de morte pro Christo toleranda, cui naturalis hominis iusti voluntas repugnât, ipse Calvinus agnoscit, sed genus mortis exprimere volens, duabus circumstantiis vsus est, *Extendes manus tuas, & Alius te cinget*. De veraque circumstantia sic Augustinus in hunc locum. *Extendes manus tuas, id est, crucifigeris. Ad hoc autem vt venias, alius te cinget, & ducet non quò vis, sed quò non vis. Prius dixit quòd fieret: deinde quomodo fieret. Hæc ille. De posteriori circumstantia Tertullianus. Tunc Petrus ab altero cingitur, cum cruce astringitur. Euangelista quoque aperte affirmat de genere mortis ista Christum dixisse, subiungens. Hæc autem dixit, significans qua morte clarificaturus esset Deum. Qua morte, id est, quo genere mortis, ait Chrysostomus Patriarcha Græcus, illud verbum, *τοιοῦτον θάνατον*, exponens, quod ita exponendum negat Beza, quasi verbi Græci proprietatē melius teneret quam aureum illud Græcorum os. Sic supra Ioan. 12. dicente Christo, *Ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum*, addit Euangelista, *Hoc autem dicebat, significans qua morte esset moriturus, τοιοῦτον θάνατον ἡμεῶν ἀποθνήσκων*: vbi iterum de genere mortis suæ loquutum esse Christum negari non potest. Calvinus autem glossa, *Alius te cinget*, id est, post hæc tollitur hæc te formandi habitus libertas, planè ridicula & puerilis est, quasi Christus Petro prædixerit fore vt deinceps non se indueret pro libito, & quasi coniuncta illa duo non essent, *Alius te cinget, &, Ducet quò non vis*, quorum posterius ad Petri martyrium pertinere quum Calvinus ipse fateatur, prius quoque membrum ei coniunctum eodem spectare, negare non debuit. Sed libuit præfractis hominibus, historiæ Euangelicæ clarissimæ luci tenebras offundere. Porro non dubiis fabulis, sed indubitata fidei, & grauissimis rerum Ecclesiasticarum scriptoribus fides habetur de genere supplicij quo Petrus affectus fuit. Eusebius Pamphili ex Origene in Genesim ita scribit. *Petrus ad extremum, quum Romæ versaretur, capite deorsum statuto (sic enim perterritus fiebat) crucifixus est. Vnde eleganter Tertullianus. Petrus passioni Domine Romæ adæquat. & D. August. Petrus pro Christo capite deorsum verso in ligno suspenditur. Idem refert Hieronymus in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum.* Orolius*

B. Petri
crucifixio
à Christo
præannun-
ciata.

Tract. 123
in Ioan.

Lib. 4.
aduersus
Marcionem.

Hom. ult.
in Ioan.

Ioan. 12. 23

Calvini
glossa pu-
tilis.

Petrus
Romæ
crucifixus.
Historia
Ecclesiast.
lib. 3. c. 1.

In præ-
script. c. 26

Orosius lib.7.cap.6.Dorotheus Tyrius in Synopsi, Egesippus de excidio Hierosolymitano lib.7.Chrysoftomus his verbis.

Gaudet Petre, qui ligno crucis fructus es, & ad Magistri similitudinem recta quidem figura, sicut Dominus noster, crucifigi noluit, sed magis inuerso capite, veluti è terra ad cælum iter parans. Idem scribit Theodoretus in oratione de charitate, B. Maximus in Natali Apostolorum Serm.1.Prudentius, & alij grauissimi atque antiquissimi authores. Sed Caluino ac Bezae

Homil. in Princip. Apost.

si antiquitatis testimonia fidem facere nequeunt, minus mirari debemus: quando & ipse textus Evangelicus per se perspicuus & luculentus non satisfacit. Hæc illorum pietas, hæc modestia est.

* *

[Faint, mostly illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]

[Faint text from the adjacent left page, partially visible.]